



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput IV. Quod in veritate, & humilitate coram Deo conversandum est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

CAPUT IV.

*Quod in veritate, & humilitate coram
Deo conversandum est.*

I. **F**ili, ambula coram me in veritate, & in simplicitate cordis tui quære me semper.

Qui ambulat coram me in veritate, tutabitur ab incurfibus malis, & veritas liberabit eum a seductori- bus, & detractionibus inimicorum.

Si veritas te liberaverit, vere liber eris; & non curabis de vanis hominum verbis.

Domine verum est, sicut dicis, ita, quæso, mecum fiat, Veritas tua me doceat; ipsa me custodiat, & usque ad salutarem finem conser- vet.

Ipsa me liberet ab omni affectio- ne mala, & inordinata dilectione: & ambulabo tecum in magna cor- dis libertate.

2. Ego te docebo (ait Veritas)
quæ recta sunt, & placita coram me.

Cogita peccata tua, cum dissol-
centia magna, & mœrore: & nun-
quam reputes te aliquid esse propter
opera bona.

Revera peccator es, & multis pas-
sionibus obnoxius, & implicatus.

Ex te semper ad nihil tendis; cito
laberis, cito vinceris; cito turbaris,
cito dissolveris.

Non habes quidquam unde possis
gloriarī, sed multa, unde te debeas
vilificare: quam multo infirmior
es, quam vales comprehendere.

3. Nil ergo magnum tibi videat-
ur ex omnibus, quæ agis.

Nil grande, nil pretiosum, & ad-
mirabile, nil reputatione appareat
dignum: nil altum, nil vere lauda-
bile, & desiderabile, nisi quod æter-
num est.

Placeat tibi super omnia æterna
veritas, displiceat tibi semper tua
maxima vilitas.

Nil sic timeas, sic vituperes, &
fugias, sicut vitia, & peccata tua:
quæ

quæ magis displicere debent, quam quælibet rerum damna.

Quidam non sincere coram me ambulant, sed quadam curiositate, & arrogantia ducti, volunt secreta mea scire, & alta Dei intelligere, se, & suam salutem negligentem.

Hi sæpe in magnas tentationes, & peccata propter suam superbiam, & curiositatem, me eis adversante, labuntur.

4. Time judicia Dei, expavesce iram Omnipotentis. Noli autem discutere opera altissimi, sed tuas iniquitates perscrutare, in quantis deliquisti, & quam multa bona neglexisti.

Quidam solum portant suam devotionem in libris, quidam in imaginibus, quidam autem in signis exterioribus, & figuris.

Quidam habent me in ore, sed modicum est in corde.

Sunt alii, qui intellectu illuminati, & affectu purgati ad æterna semper
an-

anhelant: de terrenis graviter ar-
diunt, necessitatibus naturæ dolen-
ter inserviunt: & hi sentiunt, quid
spiritus veritatis loquitur in eis.

Quia docet eos terrena despiciere,
& amare cœlestia: mundum negli-
gere, cœlum tota die, ac nocte de-
siderare.

CAPUT V.

De mirabili effectu divini amoris.

1. **B**enedico te Pater cœlestis, Pa-
ter Domini mei Jesu Christi,
quia mei pauperis dignatus es reco-
dari.

O Pater misericordiarum, & De-
us totius consolationis, gratias tibi
ago, qui me indignum omni conse-
latione quandoque tua recreas con-
solatione.

Benedico te semper, & glorifico
cum unigenito Filio tuo, & glorifi-
co, cum unigenito Filio tuo, & Spi-
ritu Sancto Paraclito in secula seculi
lorum.

E
meu
exu
Ta
dis n
meun
2.
amor
ideo
conf
pius
L
& sa
tioni
bene
amar
bilis
3.
omni
cit o
ter o
N
omni
ficit.
A

Eja